

V c
4459



Q

R
F

Q



QK. 34, 62^a



Arcadionis Fustuarium

sive

REFUTATIO LIBELLI
FAMOSI, CUI TITULUS:

Essame delli Interessi del Duca
di Baviera.

AVTORE

SINESIO ROBERTINO
Pentacomensi.

Anno M. DC. XLIII.



QK. 34, 62^a

[Kat. I, 428.]



1757

Q. R. 31. 628

Academiae Furstianae

1757

REPUTATIO LIBELLI
FAMOSI, CUI TITULUS:

Epitome belli Francici del Ducis


di Baviera

ANTORE

SINESIO ROBERTINO

Paricomense

Anno M. DC. XLIII.



ma
cri
ni
ve
ne
vi
ni
to
in
lat
&
to
Sy
pr
di
ca
bl
pr
m
pr
qu





D HILIPPUM Regem Macedonum, cum ab Arcadione Achivo palam maledictis peteretur, Græculi petulantiam donis cohibuisse accepimus. Rectè id quidem atque regiè. Regium enim est, cum benefeceris, malè audire; & suprâ quàm Regium malefactis beneficia rependere. Hoc Philippo licuit in criminatorem manifestarium; quod in oportaneum minimè licuisset, delinivit maledicam linguam, quam noverat, non delivisset sanè, si latuisset. Ausus est tenebrio, nescio quis, non ita pridem pestilentissimi schediasmatis virus italico sermone conditum præfixo nomine examinis cõsiliorum sc. interesse Ducis Bavarix, in quam multorũ sinus furtim ingerere, quo innoctiam ipsam, famã inquã, & virtutem serenissimi Maximiliani, Comitis Palatini Rheni, utriusq; Bavarix Ducis, S. R. I. Septemviri & Archidapiferi si non planè profligare, at saltem multorum odio atq; invidiã deformare niteretur. Suppressit Sycophanta suum nomen, hoc si edidisset, ipsi alicuius præmij spes esse potuisset à magnanimo Principe, & vindictæ minimè appetente; Sed istã spe carere maluit, ut eam glorię & clementiæ materiam eriperet illi, quem publicæ infamiæ omninò devovebat. Quare luci tenebras prætulit, ut fur præstantissimi honoris; in aperta iniuria manifestæ aggressioni antehabuit insidias, ut Reipubl. proditor; nomen profiteri noluit, quò liberiùs atrocitùsque grassaretur ad alienam ignominiam. Quamobrem

L. univ. C.
Si quis
Imp. ma-
led.

L. univ. C.
de famos.
libell.

negligi quid potest, curari autem non potest, nisi acerbo malagmate: Ut negligatur, non est generosissimi Principis genio alienum, qui Imp. novit lege sanxisse, ne Magistratus in petulanter improbam impudentiam eorum, qui Principum nomen probris incessivissent, poenis animadverterent; sed integris omnibus causam ad sese referrent. Id enim si ex levitate processerit, contemnendum esse, si ex infamia, miseratione dignum, si ab iniuria, remittendum. Verum ut quam maximè seriò velit, ac propè iubeat mansuetus Princeps tantam calumniarum atrocitatem contemni, atque privatam suam dolorem lenitati Christianæ donari, publicè tamen interest, tam immane scelus, quibus licet modis, ulciscendo, simul dare operam, ne tali exemplo Principum nomina, auctoritas, leges, existimatio, iussa in contemptum veniant, & quod hinc consequens est, Reipubl. salus vna cum Principe pessundet. Dabit itaque, ut spero, Princeps iusti amans veniam iustæ meæ indignationi, quæ communi utilitati maluit, quam ipsius privatæ benignitati morem gerere. In leges nihil pecco, quæ dieteris quidem ignoscunt, si auctoris nomen sit in promptu, sed sanè non ignoscunt famosorum libellorum Architectis, quippe quos capitali supplicio addicunt.

Verum ut hanc severitatem aliquâ humanitate temperem, reum capitis non arcessam, sed fustuarii, quod genus supplicij offensa nobilitas non rarò in huiusmodi scurras, lurcones ac muliones solet vsurpare, quodque me hercle non dedecet istum clancularium Arcadium, veriùs pecus Arcadium, & iniquæ mentis asellum.

Aggredior ad inconditas ipsius calumnias, quarum limen prætexuit porticâ hac sannâ & velut lemniscatâ accusatione. Nempe Baviaræ Duci ad rem augendam plus esse industriæ, quam magnanimitatis ad ditionem suarum fines proferendos; aptiorem esse ad dandum, quam acci-

accipiendum Imperium. Subtilis sanè & Arcadionis stu-
pore digna censura. Nescivisti, bipedum insulissime, sæ-
pè fortis & auræ faventis esse imperium accipere, rectè
autem dare semper esse virtutis; aliena invadere Tyran-
nidis atq; rapacitatis, at sua tueri fortitudinis; partis esse
contentum, moderationis; augere citra aliorum injuri-
am, iustitiæ & frugalitatis; in usus non inanes, sed Rei-
publ. commoda ac privatorum merita probè dispertire,
sapientis juxta ac munifici Principis esse argumenta. A-
page homo nefarie, qui cum vis esse Principem magna-
nimum, qui sat habet crudelitatis ad inferenda bella, in-
vadendos finitimos, sat audaciæ ad ambitionem, sat ve-
cordiæ ad profusionem. Hæc si vera sint insignia magna-
nimitatis, quæ poterit esse tuta uspiam generis humani
securitas? quis honorum appetendorum finis? quæ si ve-
publicarum siue privatarum opum cum modo ac ratio-
ne mediocritas? Magnanimos etiam atque etiam cave-
ant, ex Arcadionis dictamine, Reges probi atq; Princi-
pes; quippe quos (si Dijs placet) perpetuos vitæ, scep-
trorum ac regnorum insidiatores habituri sint. Præterea
non advertit pecus stolidum, bono Principi perinde esse
vitandum profusionis scopulum atque illiberalitatis &
avaritiæ Charybdin: Falluntur enim, quibus luxuria spe-
cie liberalitatis imponit; Illa enim est, quæ ærarium facit
spoliarium civium, cruentarum prædarum receptacu-
lum, inventum artemque novorum nominum, quæ præ-
texuntur novitijs inusitatisq; tributis, quibus Reip. Gry-
phi, Gnathones, parasiti, aulæ sorices & immeritorum si-
nus, veriùs exhaustarum cupiditatum voragines pascan-
tur semper, nunquam expleantur. Prodigalitas donare
nescit, sed non nescit perdere. Quamobrem ut has syr-
tes caveret Maximilianus, dominandi desiderium justiti-
æ & acceptæ à Maioribus hæreditatis finibus, honorū
spatia modestiæ cancellis, ærarium liberali iuxta ac ma-
gnifica.

6
gnifica possessionum ac censuum dispensatione circum-
scripsit. Est in exigendo iustus & moderatus, in remu-
nerando munificus, in erogandis stipendiis accuratus,
in egentium sublevandâ inopiâ benignus ac liberalis, in
causa communi & divinæ gloriæ procuratione profusus.
Eò fit, ut Deus, qui se liberalitate vinci non patitur,
cum scœnore & perenni affluentia suppediter, quæ tam-
piè utiliterq; videt collocari. Hoc ipsum est, quod Arca-
dionem, aliosq; publicæ felicitatis hostes urit & excru-
ciat, quando invidiæ trutinâ expendunt, quanta ex hoc
parsimonix & munificentix fonte emolumenta in rem
Catholicam, Cæsaris obsequia, Imperii & bonorum o-
mnium defensione, cum non mediocri adversarum par-
tium diminutione promanârint. Vis porrò nosse, mi Ar-
cadion, quàm iniquè Maximilianum ambitionis accusas,
tacitâ illa & perplexâ magnanimitatis sigillatione! Non
obstetit olim ejus animi magnitudini (uti tu quidem o-
minaris) ætas, quo minus ad Imperium potuisset aspira-
re, cum ante aÑos viginti quatuor Palatinus ipse eum ad
capescendum Imperium addicto suo suffragio, quod for-
tè non pauca alia conciliasset, invitârat, cum Bohemi
diadema & jus suffragandi ostentâssent. Quid obstitit i-
gitur? Maximiliani ab imperando aliena modestia, Ba-
varix Ducibus nec nova, nec inusitata; Meminerat e-
nim se, cum esset Alberti Pij nepos, non magis Domus
hæredem, quàm domesticæ virtutis imitatore esse de-
bere, quæ olim oblatû Bohemix sceptrû fuerat averfata:
Obstitit & sincera in Ferdinandum II. totamq; Domum
Austriacam benevolentia. Certè anni 24. iam elapsi &
multi insequentes, quibus speramus Maximilianum fore
superstitem, Imperij fascibus impares judicari non po-
tuissent, atque eadem illa moderatio & amor in cogna-
tum & Imperio dignissimum sanguinem, non annorum
maturitas, hodieq; Maximiliani magnanimitatem con-
tinent, ne si vel cætera omnia essent in promptu, cogita-

tionem ullam de adeundo Imperio sibi putet esse suscipiendam. Annis, crede mihi, non extinguitur, sed incenditur ambitio: Revoca in memoriam Galbam Nervam, qui exactâ propè ætate, Ælium pertinacem, Septimium Severum, qui septuagenarij, Gordianum, qui octogenarius Imperium, Imperij insignia susceperunt: Sed ut brevia sint senum Imperia, quisnam obsecro Vates & quo ex tripode tibi dictavit, quibus terminis Deus, vitæ omnium Arbitor, Maximiliani ætatem, cui tu toties insultas, definiere? Corporis eximia vis & humorum concentus, eximia per omnem vitam temperantia, accuratæ laborum & honestæ remissionis vices, incredibilis in utraque fortunâ mentis serenitas atque constans æquanimitas, (Deo dante) ita vovent omnes boni, tum præstabunt tuâ opinione multò longiorem vitam, tum ostendent exemplurum juniorum casu, qui in censum Libitinæ Maximiliano superstite venerunt & fortè venient, tam diu senes posse vivere, quàm citò juvenes mori.

Fatere igitur non ætatis vitium, sed virtutis absolutissimæ dictamen Maximiliani magnanimitatem temperasse. Id quò vel invitus fatearis, tuo te telo adigam, vel sanè efficiam, ut omnes videant, te grandem & stupidum esse calumniatorem. Ais enim tu, id quò sæpius inculcas, Maximilianum Imperatoris munia occupare, Cæsaris nomine Ferdinando relicto, Maximilianum se pro Imperatoris Moderatore, velut quendam Achillis Chironem gerere; Viden' Arcadum obtusissime, te Maximiliano in grandi ætate obiicere ambitionem, simul attribuere animi confidentiam? Enim verò cui sat est spiritus (ut tu quidem somnias) ad moderandas Cæsaris actiones, usurpandam Imperij Majestatem, cui eidem satis non sit animi ad ambiendum Imperium? Quasi verò minus sit arduum, palàm inflectere summam Imperantis autoritatem, quàm clam aspirare & voto saltem contendere

dere ad vacuum (siquādo Deo irato & cōtra tūm Maximilianum, tūm bonorum omnium spem, assiduasq; ad Deum preces contingeret) dignitatis supremæ possessionem. Atque utrumque ex mendacissimo tuo cerebello confinxisti. Ad Cæsaris ignominiam falsò scripsisti, pati ipsum nitus Moderatoris, sinere sibi detrahi officia Majestatis: Falsò scripsisti ad invidiam Maximiliani (quo nemo mortalium est in Imperatorem reverentior, nemo modestior, nemo obsequētior) eū sibi tantū audaciæ arrogare, ut Cæsaris Moderatorē agat. Moderatorē non eget sapientissimus Imperator; faceffe hinc istum tuum arrogantem Ayo: Maximilianus leges ac imperia à Cæsare accipit, non dictat; morē gerit jubenti, non sciscit; non præscribit, quænam rata esse oporteat: At video te Maximiliani consilia & modestissima sensa perversè interpretari, quasi recta suadendo jubeat: falleris Arcadion, falleris, consilium dare est consultoris, recta suadere, fidelis rerum æstimatoris. Malles, scio, Cæsarem carere consilijs, sed amat ipse auditq; benignè Consultores; novit non utile modò, sed & honorificum admittere aliorum consilia, ut ex ijs unus conficiat, quæ in omnium redundant salutem atq; utilitatem: Principem nunquam magis deceptioni & improborum fraudibus esse expositum, quàm cum vnus omnia scire, unus in arena decernere, unus suâ unius prudentiâ cuncta vult disponere.

Forfan ignorabat Arcadion Septemviros Imperii, inter quos est Maximilianus, esse Romani Orbis solidas Bases & Columnas immobiles, eorum prudentiâ imperio fluctuanti subveniri, esse primarios Cæsaris Consultores. Cæsaris hostes atque Imperij, in quorum censum haud dubiè venit Arcadion, ringūtur, cum experti sunt, Maximilianum aliosq; Septemviros atque Consultores cum fide partes suas explere, pravorum hominum molitioni-

tioni-

tionibus sua consilia opponendo, detegendo insidias, suadendo salutaria: hinc non natum, sed fictum probrum est, quasi idem sit Imperatoris Ayo atq; Consultor. Laudarent credo Cæsarem eiusmodi Reip. pestes, si sublatâ consiliorum libertate se meris assentationibus promitteret, à quibus sæpius, quàm ab illo hoste, Principum opes, regnorumq; quamlibet firma, præsidia evertuntur.

Progredior ad aliam Arcadionis Sycophantiam. Ait, Maximiliano esse propositum, carpēdo Domûs Austriacæ ditiones, Bavaricam familiam Austriacæ exequare; ita scilicet calumniolosissimo Pattœcioni lubuit comminisci. Ecquam verò Domûs Austriacæ partem, quam Austriæ ditionem, quæ jura Maximilianus unquam decerpit? quid in Domum amicissimam vel ad speciem affiné molitus est? sanè recenti memoriâ periclitante suis opibus atque periculo correptis pro Cæsare Ferdinando II. felic. mem. armis, collatisq; cum perduellibus signis, propè ab interitu in Germania hodierni belli initiis adiuvit vindicare: Id verò non fuit Austriacis suas opes, incolumitatem, ne dum gloriam invidere. Eò versi illi milliones, quos Arcadion toties invidiosissimè traducit, eò suscepta tam periculosa, tam difficilis, tamq; diuturna dimicatio, non ut Austriacam Domum minueret, sed augetet potiùs, & ab iniquis incubatoribus liberaret. In eam rem ex pactis conventis Maximiliano fuerunt loco pignoris à Ferdinando II. addictæ Provincie, à quibus hostem depelleret, & re ipsa in eius manus Austria ad Anasium consignata: hostem depulit, liberatas Provincias non retinuit, ipsam adeò Anasinam Austriam, post non longam paucorum añorum possessionem nondum dilutis 13. millionum nominibus, passus est cum incerta Palatinatus superioris lite, à qua vix quicquam præter labores & invidiam expectare poterat, commutari. Hoc cene est, quæso, Domum Austriacam carpe-

B

re?



re? Hocine est Austriacorum potentiam minueret? Domus Austriaca non pauca, nec ignobilia, quæ olim Domus Bavaricæ fuerunt dominia, hodieq; possidet: vide, si lubet, elenchum eorum nuper editum; recogita superiora retrò secula; cum Bavaricæ potentia longè amplioribus finibus diffusa, latè se in hodiernas Domûs Austriacæ ditiones porrigeret; Quam verò litem, quam controversiam super his antiquæ Bavaricæ resegmentibus Austriacis movit unquam Maximilianus? At Sycophanta pari Cæsaris & Maximiliani odio se in omnem partem vertit, ut fingendo suspicionum Chimæras per materiam simultatum fiduciam ac benevolentiam extinguat, accendat discordias, & tandem ad magnum rei communis detrimentum, hostium verò singulare emolumentum utriusq; Domus capita inter se committat: novit enim Sycophantæ morsum semper esse virulentum, & ex audaci calumnia semper hæere aliquid.

Similibus cuniculis homo ex fraudibus præstigijsque totus compositus, nititur Maximiliani quoq; subditos subruere, perstringendo ipsius in suos Provinciales dominationem velut novis incrementis nimiam atque odiosam. Sed quàm id sit cōmentitium testantur continua Provinciarum vota pro diuturna Principis sui salute, testatur amor, fides & ex virtutum admiratione profecta reverentia in eum, quem non secus ac Patrem, Sospiatorem, absolutum Clementissimi Principis Exemplar diligunt, colunt & sibi quàm diutissimè præesse desiderant.

Porro mirum non est, quod susceptam à Serenissimo Maximiliano fœderis Catholici directionem Arcadion, piorum omnium pietatisq; osor, tam malignè traducat, comminiscens ex Fœderatorum collectis confectam esse partem 13. millionum, quos Maximilianus, si Palatinatu superiore & Anasina Austria edendum ei fu-

erit

eritã Cæsare repetit. Eam fœderis directionem Maximilianus non ultrò expetit, non quæ sit ambitu, non adijt rei augendæ cupiditate, sed aliorum rogatu susceptam & aliquot jam annis administratam, non ut se labori subduceret, sed nonnullorum invidiæ tandem lubens volens restituit fœderatorum Principum arbitrio, ut demandarent, si ita videretur alteri cuidam, qui id muneris simul invidebat. Domui Bavaricæ, simul ipse suæ non obscurâ ambitione prensabat. Quæres sanè Maximiliano ex voto processisset, nisi fœderati eiusmodi mutationem inconsultam & rei communi non satis idoneam rati, primum quidem per literas, deinde verò per solennem legationem rursus fasces imposuissent invito: Quid quod ad eos suscipiendos propè iussus sit à Ferdinando II. glor. mem. rei Catholicæ periculo & necessitate adactus, magno rerum suarum discrimine contracto ad expeditiones fœderis ex Provincialium atq; aliorum pecunijs gradire alieno, cui diluendo, nescio an ullum hoc tempore, nisi opulentissimum ullius Principis ærarium par esse possit.

Videat Arcadion non ita pridem editam ejusce rei declarationem, & discat longè aliunde, quàm ex fœdere confectos esse istos millones, in quos ne unus quidem teruncius ex fœderatorum pecunijs est collatus: testantur id manifestissimè rationum tabulæ in Ratisbonensi conventu Anno 1623. probatæ à Cæsare, ex quibus præterea luce palàm est, Maximilianum, quam ex lege pactisq; fœderis collectam debuit, in belli sumptus exactè contulisse, sed neque hanc, neque sociorum pecuniã tredecim millionibus fuisse adnumeratam. Quid igitur, obsecro, iniquum facit Maximilianus, si tantam pecuniæ vim à Cæsare ex pactorum conventorum lege, Cæsare debitum non diffitente, sed approbante, atque in sese recipiente, repetat, ut tàm se, tàm subditorum.

fortunas præstet aliosq; creditores indemnes? Id si iniquum est, eat Arcadion & Serenissimum Saxonæ Electorem eadem operâ & temeritate arguat, quod in compensationem sumptuum, quos hoc bello fecit, à Ferdinando II. Lusatiam acceperit. Audiet ilicò, an moris sit ac prudentiæ tot drachmas grandinare, nimbos aureos depluere, atq; tali eluvione aliena perduellionis, Palatinæ ambitionis & crudelium turbarum culpas diluendo efficere, ut impunè evadant nocentes, graviter autem luant innocentes. At, inquit Arcadion, pax atque unà bellum in Bavari arbitrio, quamdiu istos milliones non condonat. Egregia planè ratiocinatio! Bellum sanè paxque in eorum fuit arbitrio, qui altissimam Germaniæ quietem, cum possint ab armis abstinere, perniciosissimè contra Sapientum omnium consilia atque dehortationes olim sustulerunt: in eorundem hodie est arbitrio pax, si vel ære præsentaneo, vel si hoc ad manus non est, spontaneâ cessione ditionum, quas Cæsar sibi ac Imperio per Friderici Palatini crimen apertas caducasq; jure quàm optimo distraxit vendiditque, pro meritis pœnas exsolvant. Vel si harum veniam sibi fieri & Palatinis ditionibus restitui omninò velint, ostendant Cæsari, quibus modis ipse Bavariæ Electori faciat satis, persuadeantq; ut vel debitam millionum summam repræsentet, vel sanè, dum id fiat, pignus antiquum utendum fruendumq; reddat. Horum alterutrum si præstetur, Elector mox etiam præstiturus est, quod sæpius per Legatos Viennæ obtulit. Demus Arcadionem, eximium scilicet, pacis conciliatorem, varia regna, Principatus, Respublicas, civitates obeuntem agere cum singulis, ut ad corrogandam 13. millionum mulctam, pro se quoque conferunt stipem aliquot millionum; hac enim ratione pacem orbi esse reddituros, pacem, si id velint, esse in eorum arbitrio; Vereor, ut pro ære risum reportaret, certè non

inju-

injuriâ eum cum hoc responso amandarent: Palatino-
rum mulctam ad se minimè pertinere, solvendam esse ab
ijs, ad quos ceu Parentis successores mulctæ indictæ cau-
sa pertineat, talem cuiq; offam edendam, qualem sibi
intriverit. Nosse velim ex te, mi Arcadion, cujusnam in
arbitrio credas esse cessationem à lite & contentione,
an creditoris, qui justum petit; an Iudicis, qui exigit, an
debitoris, qui negat protervè? Maximilianus repetit à
Cæsare, quod justum est; Cæsar à Palatinis vicissim exi-
git; negant Palatini, etsi norint se debere; quis non vi-
det, si solvât, in eorum esse arbitrio, ut dissidia cessent &
dimicationes? Repræsentent Cæsari, quod judicatum
est, Cæsar non erit in mora, quò minùs Maximiliano sa-
tisfaciat, neq; hic, quin mox à Provincijs Palatinis disce-
datur. Præterire non possum, quæ Arcadion somniavit
de nonnullorum admiratione, qui Maximiliani consilia
penetrare nō possunt & de suspicione aliorum, qui eum
vel extremè malum vel sincerissimè bonum arbitrantur.
Atqui quænam est hæc materia malè suspicandi, nedum
temerè judicandi. Nam quisq; bonus habendus est, do-
nec probetur esse malus: potius est materia improbi-
mæ sycophantiæ; quorsum enim extremè malum suspi-
ceres, in quo ne minimum quidem malitiæ vestigium
ostendisti, quem non minùs toga, quàm arma honestât,
qui Majestate morum reverentiam, amorem humanita-
te sibi conciliat; cujus virtutes nullo vitiorum confinio
obscurantur, teste totius Orbis famâ, & commendatio-
ne omnium, qui Maximilianum noverunt? Mirùm pro-
fectò est, te eò usque sciolum, qui Jovis dipteram vi-
deri velis inspexisse & forsan fumo Nicotianæ meroque
ebrius, perlituum Virginium in improbitatis tuæ lara-
rio, inspicere volueris, mirum, inquam, te tam aperta
Maximiliani consilia, quæ in propatulo sunt atq; omniū
conspectu, tam illustres clarissimasq; virtutes, quæ in

quorumvis incurrunt oculos etiam longissimè distatos
 non vidisse, non omnino penetrasse? Liberide te cæcio-
 rem esse oportet, vel in maligno illo (eversâ ratione) ta-
 baci tui lolio cæcutire, qui ejusmodi non videas; Sed dic,
 obsecro, quæ, malum! ista temeritas, quæ tam audacter
 pronunciat de ejus cõsilijs ac moribus, quos non novit?
 quâ fronte examen instituis de ijs, quæ nondum vidisti?
 Docerent te, nisi Midæ auriculæ te plus quàm Bœotum
 redderent, Maximiliani res gestæ, quotidianæ actiones,
 quænam ejus sint consilia, quæ sentia, quis animus? Maxi-
 miliani curæ perpetuæ pro Cæsare & salute Imperij satis
 ostendunt, quodnam ipsius sit in Cæsarem Imperiumq;
 studium; quod si pacis amore non teneretur, suos Lega-
 tos tùm Noribergæ, tùm Ratisbonæ, cùm de pace in Co-
 mitijs ageretur, à pacis reconciliandæ consilijs alienatos
 misisset: Atq; ij sunt, qui nihil tam seriò, tamq; constan-
 ter suaserunt, quàm ut honesta pacis via aperiretur, & a-
 perta iniretur. Quid igitur causæ, cur quicquam fini-
 strum de ejus consilijs suspicemur? Forlan ignorat Arca-
 dion Maximilianum nuper solutis Ratisbonensibus Co-
 mitijs, Viennæ Legatos novem ipsos menses habuisse
 cum ampla potestate rem Palatinam componendi; vi-
 debatur enim hoc obice remoto, minùs fore in pace re-
 ducenda negotij: egerunt sedulo suas partes & concor-
 diæ inter priores ingressi honestissimas condiciones pro-
 posuerunt; Palatini contra, quasi eo consilio venissent,
 ut tum Cæsaris, tum Bavari mentem dūtaxat per otium
 arbitrarentur nihil ad rem dicere, nihil flecti, omnia ad
 suam libellam voluntatemque obfirmatè exigere, min-
 ri abitum, detrectare oblatas paciscendi rationes, donec
 tandem contra, ac initio asseverarunt, negantes se ido-
 neâ componendi potestate esse instructos, tam diutur-
 nam tractationem abruperunt. Vel hinc collige, mi Ar-
 cadion, quænam sint Maximiliani, quænam adversario-
 rum

rum consilia, quamq; iniquè afferas, ipsum ab eventu
 meliorans præstolantem animi sui sententiam unà cùm
 fortuna publica tenere suspensam, spectatorem belli a-
 gere & spes suas in turbido collocare. Vero propius est,
 ejus hostes à belli gatastrophe, quam à pacatis consilijs
 malle pendere, teque ipsum esse ex eorum numero, qui-
 bus omnis spes est in turbido, quibus nulla quies, nisi in
 exitiali orbis agitatione, nulla malacia, nisi in procellissi-
 ma tempestate, nulla vita, nulla voluptas, nisi in generis
 humani cladibus, nisi in flammis ac bustis rei chri-
 stianæ.

Quamobrem satis apertè declaras, quanto malis
 vitam Maximiliani bello esse breviorē, turbasq; tantis-
 per duci, donec eo sublato, (ita enim sentis & voves) ex-
 peditiō sit ad res magis magisq; turbandas, miscendasq;
 ratio; credis enim tū quidem minùs fore operosum,
 Maximiliani hæredes opprimere, eorum damno quid-
 vis, etiam 13. millionum condonationem ab invitis ex-
 torquere, Austriacorum fortunam premere, Imperium
 evertere, mutare quadrata rotundis. Atque Deo favente
 nec erit tam brevis Maximiliani vita, ut frustretur pacis
 fructu, ad quam tam ardentè anhelat; nec bellum tam
 longum, ut tu crudelissimo tuo voto potiaris; Non est
 tanta exteriorū in Imperio potentia, quin reflāte fortunā,
 (quæ suas habet vices & levi momēto vertitur in contra-
 ria) possit disijci; nō est tam discors Imperiū, quin unani-
 mi salutis publicæ desiderio conspiret ad excutiendam
 inclementiam alienæ dominationis, quæ apud populos
 propriis legibus, libertati & moderatissimæ gubernatio-
 ni omnibus retrò seculis assuetos, nunquam non fuit o-
 diosa & intolerabilis: Non est tam effæta, nedum exhau-
 sta vis potentissimæ terrarum omnium Germaniæ, non
 ita concidit animus bellicosissimæ & hætenus indomi-
 tæ nationis, quin contrā ac tu ominaris, se à quibusvis in-
 cuba-

issitos
 aocio-
 e) ta-
 d dic,
 hæter
 novit?
 idisti?
 otum
 ones,
 Maxi-
 ij satis
 iumq;
 Lega-
 n Co-
 enatos
 nstan-
 r, & a-
 m fini-
 Arca-
 is Co-
 ubuisse
 i; vi-
 acere-
 mcor-
 es pro-
 issent,
 otium
 nia ad
 mna-
 donec
 se ido-
 liatur-
 mi Ar-
 rario-
 rum



cubatoribus divino præsidio, quod tandem respiciet, fulcietque causæ æquitatem, possit expedire. Non est tanta ullius, ne hostium quidem adversus Maximilianum iniquitas, ut, ubi pax erit revocanda, pacis æquitatem aperta iniuria, honestate, infamiâ securitatem novorum motuum perpetua materia, causæ, inquam, Maximiliani iniustâ damnatione sancituri sint. Hoc si Maximilianus, quemadmodum finxisti, metueret, sanè se à pacis procuratione, quàm sibi summè habet cordi, abstineret.

At à Francis, inquis, Maximilianus sperat rebus suis aliquid subsidij, eoq; tam acriter urget pacem cum Francia. Hic tibi meritò occino illud Poetæ: Tibi cornea fibra est, qui nullo humanitatis, nullo tam pertinacium malorum, quæ calamitosissimos populos tot jam annis internecionis cladibus atterunt, sensu movearis. Bellum sapientes necessitate suscipiunt, pacis studio non crudelitate gerunt, finiunt verò, ubi bellandi causæ desierunt: desinere autem non possunt pacatiùs aut æquabiliùs, quàm si dissidia partium voluntate atq; concordia injuriæ oblivione deleantur. Barbarum est, nullum humani sanguinis profundendi modum statuere, vindictæ desiderio implacabiles furias alere, quæ non tam fontium supplicis, quàm perennibus innocentium calamitatibus & exitio foveantur. Paulò ante dicebas, ô lutum sanguine maceratum, Maximilianum ex belli eventu suas spes metiri & sustentare: Nunc, cum te mendacem tui memor rem esse oportuisset, incusas, quod pacem quærat sollicitè. Quid Maximilianus, quibusve conditionibus cum Christianissimo Rege agendum censeat, meum non est decernere; sed si tamen is pacem cum Francis svadeat pro communi salute, quam sibi semper habuit, habebitq; propositam, spero equidem omnes, qui de Republica benè sentiunt, id magnæ laudi ipsi duros. Bellum hodiernum Francorum consiliis, pecuniâ, milite, potentiâ, ma-

magnam partem sustinetur & geritur: Credibile nō est eorum Fœderatos, ipsis invitis, ab armis discessuros; vice versâ verisimile est, iisdem volentibus, non fore admodum à generali pacis compositione averfos.

Quare salutare consilium est, dare initiū conficiendæ pacis, unde nasci potest, & sectari causas belli dissolvendi, unde arma suppeditantur. Quod si nulla unquam de pace colloquia, nullæ ultrò citroq; deliberationes inean- tur, quis & quando tandem erit belli finis? Nec sanè video, cur tractatio cum Rege Franciæ sit appellanda as- perius, quàm ea, quæ cū Svecis tanto molimine, tam diu, tantâ approbatione, nec quicquam tamen, quod Franci eorumq; fœderati præteriri viderentur, nuper fuit insti- tuta. Sapienter igitur atq; salutariter svadet hortaturq; Maximilianus, si autor est amicitia cum Francis redinte- grandæ: Id enim decet Principem boni publici peramā- tem & gnarum ejus, quod prisco verbo dicebatur: *Φράγξον φίλον ἔχοντα.*

Nec sanè est, cur cuiquam in mentem veniat, Maxi- milianum privata potius, quàm communis utilitatis hac in re rationem habere, ambire tutelam ac defensionem Filiis, & nescio quæ sperare alia, quæ stolidè commin- citur Arcadion. Sperandum enim est, divino beneficio Maximilianū fore superstitem, quoad Filij per ætatem, extorum præsertim, tutela non egeant, sed accedente Christianorum Principum benevolentia (in qua reti- nenda Domus Bavarica laborare solet) se suis consiliis re- gant, tueantur, & amicorum ope, legum præfidiis, Mayo- rum autoritate, & si usus erit, se ipsi sua manu defendant.

Quod si (quod benignus Deus avertat) quid secus Maximiliano contingeret, non deerunt pupillis Tutores maxime idonei, sive à Bulla aurea, sive alia ratione præ- scripti, non deerunt defensores, cum Cæsaris multum in- ter sit aliorumq; Propinquorum tueri cognatum sangui- nem;

nem; Regum verò omnium atque Principum plurimùm referat, communi velut ope ab insontium Principum Domibus arcere injurias, prohibere vim, opprimere turbatores, tollere in vadendorum Principatum tam odiosa omnibus, quàm periculosa & exitialia singulorum posteritati exempla. Quod ad 13. millionum securitatem attinet, non est, cui Maximilianus aliam affectet, quàm à Cæsaris fide ac iustitia, à confirmata hypothecæ aut evictionis obligatione: justa autem justis exspectare sapientia est, iniusta autem à iustis metuere, iniustum est ac temerarium. Atq; hæc quidem de improbo isto Arcadionis figmento.

Venio ad alia, in quibus instar anus Attellanæ more suo velut cribro divinans, meros fabulatur Alcinoi apologos, congeritque quicquid vesano homini occurrere posset anilium deliramentorum. Fingit nullã, ne ad speciem quidem allatã verisimilitudine, Maximiliano esse in votis, ut Franci facti sequestres rerum Germaniæ, operæ in dirimendis controversijs positæ mercedem, non per vim, sed partium consensionem accipiant, atque sic uno eodemq; maledicentiæ telo duos simul improbissimè figit, Franciæ Regem Christianissimum & Bavariæ Electorem; Hunc quidem quasi Ludovico Regi nimium addictus favensq;, ipsi rerum Germanicarum arbitrium & arbitrii amplum pretium animò procurat. Illum verò quasi mercenariam operam præstiturus sit dissidiis Germaniæ componendis.

De Rege Franciæ quid Maximilianus sentiat, quò in illum sit animo, sepositis præsertim belli dissidiis, statuere vel conjecturã saltem assequi non erit admodum operosum consideranti; quid Rex Christianissimus ante exortas adversus Cæsarem atq; Imperium discordias Maximiliano præstiterit, quanta eximij affectus argumenta dederit, inter quæ si non palmarium, at certè val-

dè illustre est, quod Regiâ planè beneficentiâ atq; solici-
tudine promoverit, ut Septemviratus Friderici Palatini
culpâ caducus in Maximilianum eiusq; domum trans-
ferretur. Qui enim fieri potest, ut per densas etiam hosti-
lium turbarum nubes & caliginosos armorum conflictus
ex grati animi recessu, non aliquis bonæ mentis radius
promicans accepti beneficij & conciliatæ amicitia ac-
cendat recordationem, simul exciter integrandæ con-
sensionis & mutæ benevolentie fiduciam? Virtutis enim
est malorum sensum dare oblivioni, benefactorum vero
memoriam in sculpere eternitati. Quando autè divino
munere de pacis universalis sanciedæ modis erit agendû,
quis nescit hos, non in unius Bavari, sed Cæsaris, Imperij
atque aliorum, quorum res agitur, fore potestate? Gran-
dem autem atque atrocem calumniam, quæ severiore
virgâ vindicanda foret, infert Arcadion Regi Christia-
nissimo, ubi non veretur obtendere, Hunc, mercena-
riorum more, navatæ curæ & facilitatis, si quam in pace
componenda ostenderit, mercedem atque hostimen-
tum Maximiliano auctore expectare. Iusti enim Regis
nomen indignè traducit, qui eum dicit, extra justos re-
gni speciosissimi limites aliena quærere, animi regij ma-
gnitudinem deprimit, qui negat rerum gestarum gloriâ
esse contentum.

Quod Arcadion Serenissimi Saxonie Electoris in
Prægenti pacificatione conficienda & ad omnem poste-
rorum memoriam præclarissimum studium calumniosè
perstringit, hodiernas Suecorum injurias & sequioris
fortunæ casus exprobrans; facit id quidem, uti alia, ne-
quiter juxtâ ac insidiosè, tum ut ostendat, quam Vati-
niano odio prosequatur omnes pacis & quietis Germa-
nicæ amatores, tum ut Principes atque Ordines Imperij
alioqui probè affectos, malorum, quæ Saxoniam vexant,

Constitutionis ex-

exemplo deterreat à consilijs procurandæ in Imperio tranquillitatis.

Idem, ne intactum quicquam relinquat, ex quo invidiam publicumq; odium Maximiliano conflare possit, Brisaci quoq; deditioem ita conatur in huius ignominiam calumniosissimis suspicionum flabris vertere, ut non vereatur vocare in dubium, egerit né Maximilianus, ut à Weinmario Brisacum occuparetur, occupatum extincto Weinmario venerit in Regis Francorum potestatem. Sed dic fodes Arcadion, si quod uspiam deprehendisti vestigium, si quam umbram notasti istiusmodi suspicionis? Tu sanè cum cætera omnia te deficerent, nihil præter nefariam tuam cogitationem attulisti: dispice tamen, sitne quicquam, quò vel attingas solida, quæ delirant tuo somnio oppono, rationum vincula atq; firmamenta. Tantum profectò facinus egregiæ munitionis hosti prodendæ, in qua præcipuum quoddam Germanicæ littoris & citerioris Imperii propugnaculum Majores nostri situm esse crediderunt, concipi non potuit absq; spe ingentis utilitatis, non potuit suscipi absq; hostium conscientia & addicta in posterum Bavariæ securitate. Ergò si quid sapias ultra pecus Arcadicum, primùm profer, si quas abdidisti intra stoliditatis tuæ clitellas, pactorum tabulas, interpretum negociationes, indicia rei agitæ, nomina ultrò citròq; ad talia conventa commentium: simul ostende, quidam Bavaro potuerit accidere utilitatis, si Bavariæ latus tantò tamque necessariò Brisaci præsidio destitutum, potentissimorum hostium incursionibus, tanquam effractis repagulis, nudaret & aperiret? An credis eum tam nihil ad rem sive communem, sive privatam esse attentum, ut ultrò se & amicos sibi citerioris Germaniæ provincias quotidianæ & quasi perpetuæ dimicationi voluerit objicere? Sed audi, si quæ fortè tibi rationis portio supersit, quid pro servando Brisaco

sa co

saeo Maximilianus præstiterit, ut desinas malè de Brisaci
 deditioe suspicari. Haud procul aberat à periculo Bri-
 sacū An. 1633. quando Maximilianus exercitu validò cū
 Ducis Feriani copiis conjunctò, misit suppetias, hostem
 avertit, Alsatiã tutatus est, Constantiã obsidione libera-
 vit; eò factū, ut Bavaria, tum nō satis adversus Weinmarij
 irruptionem firmata, captã Ratisbonã, incredibilibus
 damnis vexata & passim vastata crudelissimè, Brisaci in-
 columitati litata fuisse videretur. Id scilicet erat Brisa-
 cum desertum hostium arbitrio permittere. Rursus An-
 no 1637. quanto labore, quanto sanguine, quibus sumpti-
 bus Brisacum à Bavaro defensum est? Werthius Wein-
 marij castra expugnavit, munitiones perrupit, præfidi-
 um hostile devicit, ad deditioem compulit, pontem na-
 valem, quo Rhenus jungebatur, disiecit, eaque omnia e-
 git imperio Bavari, ut Brisacum, cui è vicino hostis immi-
 nebat, liberaret. Huic ut in posterum prospiceretur, eos
 ad quos spectabat cura providendi, semel, iterum, sæpius
 sollicitè ac sedulò periculi impendentis apertã denun-
 ciatione admonuit, rogavit etiam atq; etiam, ut citerius
 Rheni littus & oppida (iam tum enim Alsatiæ ulteriora
 hostis infederat) validioribus præfidiis firmarentur, ut
 annona, quæ pro alendo exercitu ad multos menses ex-
 pactis conventis erat promissa, Brisacum tempestivè im-
 portaretur: donec tandem Weinmarius vacuas citerio-
 ris Rheni nationes subitò invadens mense Martio 1638.
 captis aliquot oppidis Rheinfeldam Cæsareo milite in-
 sessam obsedit, & cum priore congressu adiuvantibus
 Bavaricis, duce Werthio, fusus esset atque fugatus, re-
 sumptis animis, inopinato regressu eos, à quibus paulò
 ante devictus fuerat, oppressit, Rheinfeldam, rebus ne-
 cessariis non satis instructum, ad deditioem compulit,
 Friburgum Brisgoæ occupavit, Maximilianus contra
 mense Junio Brisaco à Governatore & milite Austriaco,

non à Bavarico incesso, quod ad idem designati iam prospiciebat, comneatum invexit, vicina loca praesidio munivit, nihil veritus annonae ingentem difficultatem & pestilitatis stragem, quae in jumenta grassabatur; Mense Augusto, adverso Marte, dum parat Brisaco succurrere, cum hoste confligit, deinde hostilium castrorum, quibus Brisacum premebatur, valla cum multo sanguine & supremo conatu, licet irritò, aggressus tentavit. Sine hæc signa Brisacum ultrò hosti permittere volentis non malignus Arcadion, sed quivis æquus ac prudens iudex esto. Fames Brisacum, non hostium virtus expugnavit, mala alia Alfatiam perdiderunt, quæ omnia ut arcerentur, fuit in eius potestate & aliorum, ad quos spectabat diligentia; sed obsecro, cui vel per somnium potuit in mentem venire, Brisacum si dederetur Weinmario Bavaricæ hosti infensissimo, à quo nil nisi triste poterat expectari, unquam venturum in Regis-Christianissimi manus? Et ut demus, id à quoquam cogitari potuisse, certè extremæ dementiæ fuisset, malle Brisacum occupari à Rege potentissimo, qui haud facile cessurus esset, quàm à Principe sanguinis Germanici, cui cum nullæ opes, nullæ ad asserendam Brisaci dominationem facultates essent, levi brachio ea præda per Austriacos, ipsumque Imperium poterat excuti, aut certè spe reconciliationis & præmij, vel suæ gentis amore, ut volens lubens restitueret, persuaderi.

Sed quid non agit semel effusa ad mentiendum Arcadionis improbitas? ut persuadeat Maximilianum procurasse Brisaci deditioem; fingit hoc ipsum fecisse odio Palatini, eam ob rem autorem fuisse ejus in Francia retinendi, concurrisse ad Weinmarij (ita negatur) canonizationem. Hic enim verò Arcadion (ut in apologo asinus apud Cumanos) Leonis exuvias indutus palam ostendit, in cujus gratiam tam multa mentiatur, cujus patro.

patronum agat libello suo pestilenti. Verum nimium quantum prominentis stuporis longæ auriculæ produnt asinum totâ hac fabulâ personatum.

De Palatino in Gallia tantisper detento non est operæ pretium multa adferre ad diluendam Arcadionis calumniam; Exigo rursus ab eo jure meo hujusce rei documenta, testes, tabulas: cujusmodi si quid vel magno ære comparare potuisset, haud dubiè non pressisset tam alto silentio animal in diffamando Maximiliano volacissimum; Verum tanti non est Cumanus asellus, ut, ubi sono incondito etiam sub Leonis pelleruderit, ilicò innocentia probrosè licet inclamata, moveatur. Quid causæ habuerit Rex Christianissimus Palatini profectio- ni obicem ponendi, ipsi erit compertum; collimasse ipsum hac injectâ remorâ ad Brisacum sibi adjungendum, credo equidem ab omni vero, fide & nota ipsius animi magnitudine prorsus esse alienum. Hoc autem omninò est intolerabile & rotâ dignum facinus, Arcadionem tacitè ausum esse tantum talemq; Regem unâ cum Maximiliano vocare in hujusce calumniæ societatem; Si enim suo- fore Maximiliano Palatinum detinuit, idq; eo consilio, ut Brisaco potiretur, sanè altiori cogitatione fuit ipsi me- ditanda ratio Weinmarium, qui pedem Brisaci obfirma- verat, removendi. Concurrit Maximilianus, inquit. Arcadion ad Weinmarij canonizationem, cum quo? quo- adjutore? quibus modis? Viden' hominum omnium, quos sol conspicit, calumniosissime, immanis tui facino- ris atrocitatem? Procurasse Maximilianum Palatini (ho- stis videlicet tui) detentionem, tam nihil habet turpitu- dinis, ut hoc ipsum, quamvis à verò aberret, in laude- posuerim. At concurrisse ad Weinmarij canonizatio- nem turpius est, quàm ut à me possit concedi; Vel enim ancipiti illo tuo canonizationis commento accipis illa- tam Weinmarij vitæ vim aut occultas fraudes; at hoc ne-

in

in hostem quidem cordatum, & tuæ existimationis retin-
 entem convenit : vel per antiphrasin intelligis Wein-
 marij è vivis ablati insectationem; atqui parcendum est
 sepulto & ignavæ modestiæ species est, in demortui ma-
 nes esse inhumanum; quare neutrum generosissimi
 Principis magnanimitati ullus unquam absque luculen-
 ta injuriâ affinxit. Igitur, quicumque tandem sis, ad
 quemcunque Principem pertineas, ipsius profectò est in
 in tuo capite statuere còspicuum severitatis exemplum,
 quò condiscant omnes à laceranda Principum fama ab-
 stinere. Ego interim, dùm Syncophantiæ tuæ fidem,
 quibus par est, rationibus facias, quod facies nunquam,
 justâ retorsionis lege, te parricidarum caput, latrocinio-
 rum architectum, Tuæ Patriæ Cethegum, Orbis Cati-
 linam, provinciarum Verrem & quicquid est immanio-
 ris nominis, haberi posse pronuntio. Agedum Canthe-
 rium istum in hac fossa, ex qua nunquam salus emerget,
 relinquamus. Aliò nos vocant ipsius stolidæ quidem,
 sed ad excitandas inter Principes animorum differentias
 atque odianequiter compositæ fictiones, quibus dum
 nititur exercere ingeniolum, exerit turpiter à Leone
 auritum asellum. Aggreditur enim velut exteriùs inje-
 cta aut divinitus inclusa (si superis placet) præsagatione,
 fata, futuros casus, sortem Cingarorum ritu dispartiri.
 Diceres, nî Arcadionem nosset, mera Pythij aut Dodo-
 næi vatis fundere oracula, sed folijs sua carmina mandat,
 quæ turbata volant rapidis ludibria ventis.
 Si Suecorum, inquit, Protestantium aliorumque
 Fœderatorum res ex eorum voto fluant atq; sententia,
 ut Maximiliano imponatur necessitas migrandi è Pala-
 tinatu, potiùs patientur ei salvos esse 13. milliones ex Al-
 satia & Austria ruinis, nolentibus ac invitis Austriacis
 (tanta sitis est rei alienæ) sub umbra Francorum, quàm
 ut cum gente hodie formidabili & vicinorum domitri-

ce sumant inimicitias. Pergit Orbis diribitor: Sin Fran-
 corum fortuna, uti se dant rerum successus, Fataque
 polliceri videntur, cæteris altiùs emergat, Maximilia-
 nus suâ authoritate talem pacem constituet, ut Franci
 Imperij arbitrium assecuti, & bello Germanico expediti
 totis viribus ad evertendam Hispaniæ Monarchiam in-
 cumbentes, Maximiliani beneficio devincti, Bavari-
 cam Palatinatus possessionem aut sanè 13. millionum
 nomen defendant. Iam enim, (inquit Arcadion) vix
 quicquam reliquum est, quod afflicti in Catalaunia,
 Lusitania & Italia Hispanorum rebus, Maximilianus
 admodum ab ipsis sibi metuere aut sperare possit. In
 Imperio verò eò processit ejus autoritas, ut gerat omnia
 pro arbitrio, Domum Austriacam regat ad nutum, ex-
 primat ab ipsa compensationes, congesta indies tanta
 necessitate utendi ejus auxilijs, ut non adorari modò,
 sed etiam velit deaurari. Hactenus Arcadion. Enim-
 verò si cælum rueret, multæ caperentur alaudæ; Scire
 velim ex te, quo numine adflatus ita arioleris? illo, cre-
 do, qui dixit, te fore spiritum mendacem in ore Pro-
 phetarum. Sed quid si alia omnia, quàm tu auguraris,
 eveniant? Quid tùm fiet? Nimirum credis fortunæ
 blandienti, cujus tot sunt vicissitudines, quot motus,
 quot dies, imò momenta. Ad augendam felicioris au-
 ræ gratiam turbines intercurrunt. Habet has alterna-
 tiones conditio mortalium, ut adversa ex secundis, ex
 adversis secunda nascantur. Occultat utrorumque se-
 mina Deus & plerumque bonorum malorumque causa
 sub diversa specie latent. Neque tu, neque tui similes
 ullus sat prudens conjector est, qui norit, quid seris
 vesper vehat. Ut alia omitam, non meministi olim
 Anglos, cum totâ propè Francia potirentur, à Carolo
 VIII. Francorum Rege Elisabethæ Bavariæ filio (nota

D

Ba-

Bavarici sanguinis cum Francico coniuncti affinitatem
 & indolem) è regno Galliarum deturbatos, idq; opeloanna
 Damprenia pastoritiae puellae in Dei voluntate omnia
 sunt posita; noli figere rerum metas, quas non novisti,
 noli irrepere in Dei consilia, à quibus, qui carnem & va-
 nitate sapiunt, excluduntur. Pone igitur res aliter, atq;
 praesagis, evenire, quid facturus est Maximilianus? Sed
 pone etiam, uti tu quidem optas, ita cadere, credisne id-
 circò factum, quae vaticinaris, aut acceptum, quae promit-
 tis? Multa cadunt inter calicem supremaeque labra. Cor
 Regum homini quidem inscrutabile, sed sicut divisiones
 aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocunq; vo-
 luerit, inclinabit illud. Tu verò de corde tuo locutus es,
 & non misit te Dominus. Odisti Austriam, odisti Hispa-
 niam, odisti Germaniam, odisti Galliam, ideò dixisti, si
 Sveci vicerint, si ceciderit Germania, si collapsa fuerit
 Hispania. Sed nec Svecos amas, quos aemulatione cum
 Gallis velut de summa rei certantes collidis. Res tibi dura
 exat est de tui Leonis exuvijs, ideò somnias de migratio-
 ne Maximiliani è Palatinatu, de millionibus in Austria-
 corum ditiones transferendis; ideò eius auctoritatem o-
 diosè in maius extollis, ideò fingis eum ab Hispanis nihil
 deinceps boni malive expectare.
 Non repeto, quae iam dixi de spe fortunae Germa-
 niae; non ambigo de Ferdinandi III. Imperatoris in Ma-
 ximilianum affectu & iustitia; quibus positis nihil erit
 opus, Maximilianum ab exteris, quae tu iactas, accipere.
 Hic, scio, Hispanicam coronam eo habet loco, quo de-
 cer sapientem Principem; eam nunquam timuit, nec ad-
 huc timet, utpote sibi amicam, & quae nullam de-
 dit causam, cur timeretur, sed dedit plurimam,
 cur amaretur. Hispaniae sortem atque potentiam
 nemo prudens contemnet: nunquam magis timendus
 est ho-

nitatem
 loanna
 e omnia
 novisti,
 m & va
 ter, atq;
 us? Sed
 lismé id
 promit
 ora. Cor
 visiones
 unq; vo
 cutus es,
 i Hispa
 dixisti, si
 la fuerit
 one cum
 ibi dūra
 igratio
 Austria
 atem o
 nis nihil
 Germa
 s in Ma
 nihil erit
 ccipere.
 quo de
 nec ad
 lam de
 rimam,
 tentiam
 mendus
 est ho-

est hostis, quam ubi spernitur; stat adhuc dum fortuna
 Hispanica; nondum uti olim Pelagio Rege ad Asturum
 & Cantabrorum angustias redacta est: Meliora Superi
 Non eò usque exarsere Regum affinium iræ, ut juncti u
 trinque sanguinis delinitione mitigari & restingu non
 possint. Quicquid igitur demum supremus reum Arbit
 ter, cuius nutu omnia orbe volubili circumaguntur, sta
 turet, Maximiliani prudentia tot annorum experimentis
 erudita, & quod caput est, ex Deo pendens & nexa, uti
 non patitur eum abiecto velut clypeo diffidere rerum
 meliorum successibus; ita nec sinit esse eum futuri im
 providum aut incuriosum, sed ea tamen probitate, ut
 semper iusta iniquis, honesta utilibus sit ante laturus. De
 eius in Cæsarem ac Domum Austriacam modestia iam
 sat superque dictum est; De compensationibus, à vero
 non abiero, si asseveravero, nihil ipsum ab ea nisi debitum
 exegisse, nedum iniustum expressisse; nihil ultra merita ac
 cepisse, utrum infra merita acceperit, nō est huius loci pro
 nūtiare. Magni pretii atq; gloriæ loco semper erit gene
 roso Principi de amicis benè mereri potuisse. Atqui, ait
 Arcadion, Maximilianus multas Imperii partes, nomina
 tim Sveviam ipsum jam triennium tenuit: Ex ijs ditavit
 Bavariam, suum militem aluit, non ut ab hoste stativa de
 fenderet, sed ita exhauriret enervaretque, ut pro gratia
 habeant esse sub Bavariæ dominatu. Hæc Arcadionis
 quemadmodum cætera, libuit improbè interpretari; fa
 teor, Maximiliani militem Cæsari Imperioque auctora
 tum in Suevia alijsque hinc inde Imperii provinciis hy
 berna habuisse, sed dico, id iustâ Cæsaris voluntate
 & partitione factum esse, uti copiæ Imperio aleren
 tur. Nego verò quicquam Maximiliano datum ad gra
 tiam aut reverentiam; nego vel obulum venisse ex Impe
 rii stativis aut collectis in Bavariæ ærarium, sed ubi usus

erit, paratus sum ostendere, aliquot florenorum myriades è Bavarica ad belli sumptus esse collatas, tantum abest, ut ex alienis Bavaria fuerit locupletata; Nego Maximilianum in Svevos, aliosvè Imperii populos quicquam usurpasse, aut usurpare velle dominatum; Dico insuper asininum esse Arcadionis commetum fingere, Maximilianum tale quid ambire, quod novit Cæsarem & Imperii Ordines nunquam esse passuros; nimirum ut provincia Imperio astrictæ gubernationis formâ mutata ad aliam dominationem avellantur. Stativa, quantum in se fuit, defendit Maximilianus, quod nî fecisset, jam dudum ab exteris fuissent occupata. Quid ad Hohévillam, quid alibi tentatum sit ac præstitum, non libet commemorare, sunt ea palàm & in recenti memoria. Sed quid pecori Arcadio facias, ubi semel extra pudoris ac rationis fines everso cerebro & perditâ fronte erumpit? Sueviâ credit fore pretium venditæ Alsatiæ: At nusquam ostendit, aut ostendet unquã venditâ esse Alsatiâ à Maximiliano. Eam Suecus & Weinmariansi emerunt multo sanguine, Franci à Weinmario multo ære; dabunt se insuper novum pretiû Maximiliano, qui supremo nisu obstitit, ne Alsatia perderetur. Dabit Galliæ Rex Sveviam, quã nõ obtinet, & si quidem obtineret, dare forsân nollet, aut si vellet, nescio an à Maximiliano cum perpetua invidia, Imperiiq; odio, tanquam bellorum & inimicitiarum lerna deberet admitti. Ineptit porrò valdè Arcadion, cum ait, Maximilianum ex Sveviæ collectis debere sustentare præsidia finitima, firmare rebus necessariis munitiones, quæ adhuc istis in locis sunt in fide Cæsaris, idq; ipsum cõsultò, ut ad extrema redactis imponatur necessitas sese dedendi eius potestati. At enim quo ex capite, quâ lege, quibus pactis colligit hanc alendi Austriaci vel Cæsareani præsidi iobligationem? Bavarus commissum sibi
mili-

militem alit, firmat munitiones sibi concreditas non ex
 unis stativorum tributis, sed ex suo etiam arario; cetero-
 rum cura ad eum non pertinet, nisi forsan quis eum ve-
 lit esse universalem totius belli atq; Imperii quaestorem,
 qui universas impensas ex arario suo suppeditet, aut sanè
 sufficiat, ubi aliqua inopia vel indigentia apparet. Chi-
 mæ sunt, quas Arcadion obtendit arcibus Bavarico
 præsidio inessis, quasi eas Maximilianus sui iuris facere
 velit, si ad extremam inopiam redigatur? Imò, a se ille eas
 usurpare vellet, ipsi danda esset opera, ut rebus omnibus
 ad propugnationem necessariis ad multos annos muni-
 nirentur.

Tandem queritur Arcadion, Maximilianum in Aus-
 triæ regiones easque meliores latius in dies proserpere,
 ut periculum sit, ne Austria languescens mutui veneno
 atq; usuris Bavarorum tandem veniat sub hastam, & tota spo-
 cie representandi æris alieni ab ipso rapiatur. Stolidiffi-
 me clitellatorum, quæ illæ sunt partes Austriæ? quæ u-
 suræ? cur, uti paulò ante Sveviam, ita istas Austriæ partes
 non nominasti? Dic, quæso, quæ tanta illa sunt mutua,
 quæ Austriæ hastam minitentur? Aut nulla nominare
 potuisti, aut, si nominares, vidisti tam esse nihili, ut vel ex
 hoc ipso Vatinianum tuum in Maximilianum odium &
 maledicendi prurigo magis elucesceret. Miror admo-
 dum, cur te Austriaci ararii sui Præsides non utantur, qui
 nôris tam subtiliter eorum rationes subducere & ad rem
 Austriæ esse attentus. Sed si te nôrunt, profectò cave-
 bunt etiam atq; etiam, ne tales manus ad alienam famam
 rapiendam nimum quantum picatas ad peculatum fu-
 races experiantur.

Deniq; , ut fastidii plenum hunc tui fustuarii labo-
 rem finiam, credo me sat superque demonstrasse, te stoli-
 dum esse Arcadionem, asinum ad lyram, putridum, in-

quam, alinum, licet rosis undiq; circumfluere, Syco-
 phantam indignum laevis usura, dignum publica infamia
 & odio bonorum omnium, pestem humanae concordiae,
 discordiae & æmulationis inter Christianissimos Princi-
 pes Architectum, verbo dicam, pudendum Arcadionem.
 Quis tibi in scribendo finis fuerit propositus, iam dixi.
 Voluisti Domum Bavaricam cum Austriaca committere,
 excitare æmulationes, dissidia, differentias, Maximilia-
 num odio publico exponere, ut eo à Cæsare & Imperi-
 ordinibus deserto facilius iniqua, quæ Palatini postulant,
 impetrarent.

Ad extremum, oro te, amice Lector, da veniam in-
 stæ meæ indignationi: tela Lycambæo sanguine tin-
 cta contorfi, sed in monstrum propudiosum, quod si no-
 men suum protulisset, longè honorificentius appellas-
 sem; sed talis clancularius Neoptolomæus ne ad Apollin-
 nis quidem aram aylum debet invenire, qui tali Principio
 in ipsis Septemvirum subselliis tam nefarias
 manus est ausus inferre. Qui, quæ
 voluit, dixit, quæ non
 vult, audiet.

F **N** **S**
 Densip, ut falsidii plenum hunc cuiuslibet
 rem suam, credo me sat superque demostri-
 dem esse Arcadionem, auctum ad hunc
 Densip

Syco-
fania
rdia,
rinci-
nem.
dixi
tere,
milia
peri
ilant
ad
m
tin-
fno-
ella
polli
ncipio
me
tux
non
A
pot
hoc
mala
dum
not
A
part
aspic
tace
D
rem
dem



QX 9/4459

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

MC



ULB Halle
004 807 138

3



VDA 7

MC





QK. 34

REFU
FAMO

SIN

An

QK. 34, 6



V c
4459

am

BELLI
ULUS:

NO

III.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

[Kat. I, 428.]